



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

XII. Pro omnibus virtutibus est conformitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

mus, in cap. I. Ezechielis, ad illa verba, *de medio ignis, quasi species electri. In medio ignis, inquit, & tormentorum fit electri similitudo, quod est auro argentoque pretiosius: ut post iudicium atque tormenta, qua patientibus tristia videntur ac dura, pretiosius electri fulgor appareat, dum Providentiâ Dei omnia gubernantur, & , qua putatur pœna, medicina est.*

XII.

Pro omnibus virtutibus est cõformitas.

Audio objicientem: verum quidem, ab adversis conformiter voluntati divinæ toleratis meriti multum esse: at multum etiam meriti decedere, cum virtutum aliarum exercendarum materia, occasiõve, subtrahitur. Pauper, caret eleëmofynæ pretio: æger, orare nequit, jejunare non valet: tenuis ingenii & auctoritatis nullius homo, præsidio oppressis esse non potest, non erigit abjectos, non solatur mæstos, non docet ignaros instruitve consiliis, quæ tamen caritatis exercitia maximi apud Deum esse momenti, indubitatum est. Isthæc objicienti, & quantum potest ejus generis opera multiplicanti, & exaggeranti

ranti, ad singula respondero: velle potest pauper quod Deus vult, plus est quam stipem largiri: velle potest æger quod Deus vult, plus est quam orare & jejuna- re: velle potest idiota quod vult Deus, plus est quam Apostolicum munus fungi, & se in proximi obsequia impendere ac superimpendere. Nulla enim voluntas perfectior, quam quæ Dei voluntati conformior, ei que magis subjecta: amoris in Deum & submissionis testificatio nulla expressior, quam idem velle. Quæ diximus probationi sufficiunt. Addere tamen possis, quod Cæsarius libro 10. cap. 6. narrat, & ex eo Drexelius, Heliotropii lib. 3. cap. 1. De religioso quopiam miraculorum patratore, eò mirando magis, quòd nîl eximie virtutis ostenderet. Rogatus à superiore quid hoc sibi vellet, & ipse mirari se dixit: aperuit tamen denique, studere se conformandæ in omnibus voluntati suæ cum divina: eo que interrogationibus perductus est, ut ad incendia, latrocinia, aliaque infælicia eventa sese vix commoveri fateretur: inò de futuris rebus

rebus adeò parum angi, ut ne de infælici quidem æternitate esset sollicitus. Si enim eò damnandus foret, aliud nihil sese postulaturum à Deo, quàm ut de se fieret æternitate tota, quidquid voluntas divina decrevisset: tantum ipsi hoc daretur, ut æternitate tota constaret ipsi eadem voluntas, quæ modò, ex Dei voluntate suspensa, & in ea conquiescens. Intellecto illo perfectæ voluntatis ac consummatæ virtutis miraculo, desuit interrogator mirari miraculorum patratores.

SECTIO TERTIA.

Fructus tertius,

Excelsa tranquillitas animi.

I.
*Pax animi
 beatitudo
 summa.* FERUNT Alfonso, Neapolis & Aragonum Regem, interrogatum, quæ summa sit mortalis hujus vitæ fælicitas, respondisse: non aliam videri majorem, quàm si quis semel ex animo Dei manibus sese permiserit, &